diligentissimus & peritissimus sibi adjungi non dedignabitur. Sunt illi quotquot in his paginis nominatos legetis, Imperatores, reges, principes, sæculorum suorum heroes, & non abnuente hanc etiam suo sensu formulam scriptura, Dii terrestes. Quicquid enim hi, cultum divinum fovendo, promovendo, repurgando, piè; suos legibus & judiciis, præmiis & pœnis ad lancem æquitatis irrogatis regendo, justè & prudenter; vim à concredito populo propulsando & limites justis modis proferendo, fortiter; sibimet imperando & compescendo animi motus σωφρόνως; aut in cujuscunque alterius virtutis exercitio præclarè gesserunt, universa illa exempla, quorum hic seges non parca est, totidem doctorum clarissimorum præcepta æstimare convenit. Quinimo ea exempla doctrina quacunque tanto fideliora judico, quanto qui illa edunt in majori autoritate, & alias quoque longum per præcepta iter, breve & efficax per exempla est. Sed hos præceptores, qui aliis quoque in illustri positi prosunt, vobis proprios esse negabitis. Nolim vero (quamvis & cœlum, aër, aut aqua non minus nobis grata, quia universis patent) non proprios istos doctores haberi. Vobis certe, Principes Serenissimi, proprii merito videri